

SOLUTIO :

337. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia quis vovens votum suum commutare potest in opus evidenter melius : nam ille qui opus re promissa perfectius peragit, eo ipso servat id quod promiserat ; aliunde ex Jure canonico constat ; atqui commutatio in jejunium loco brevis peregrinationis et postea in Missam quotidie audiendam, est quid omnino melius : ergo valida fuit utraque commutatio ab ipsamet DOMITILLA facta. *S. Lig. n. 224.*

R. ad 2^m Quæst. Neg. Ratio est, quia, quando votum propria auctoritate commutatur, non dissolvitur prior obligatio, sed tantum illi per adimplerem superabundantem satisfieri potest ; secus vero si commutatio a legitima auctoritate peracta fuisset. *S. Lig. n. 249.*

338. — *R. ad 3^m Quæst. Affirm.*, quia Confessarius privilegiatus vota commutare potest, non tantum in opus melius, sed etiam in opus circiter æquale, vel etiam paulo minus : secus enim inutilis foret facultas ipsi concessa, si nihil aliud posset ac ipse vovens ; atqui confessio hebdomadaria, utpote animæ voventis valde proficua, non est opus multo minus ac auditio Missæ quotidianæ : ergo. In comparatione enim instituenda, non est tantum attendendum ad rem materialiter spectatam, sed ad ejus utilitatem, etc. Insuper ad commutationem faciendam sufficit ut Confessarius attendat ad primam voti materiam, seu ad peregrinationem, cum in hac sola consistat obligatio, et commutatio novum votum non constituat, sed tantum modum diversum obligationi satisfaciendi ; atqui confessio hebdomadaria, imo et menstrua, prædictæ peregrinationi æquivalere potest : ergo... *S. Lig. n. 244.*

339. — *R. ad 4^m Quæst. Affirm.*, sive commutatio facta fuerit propria voluntate, sive auctoritate, quia commutatio fit in favorem voventis : ergo, si, facta experientia, malit ad primum opus promissum redire, id liberum esse debet. *V. Comp. n. 334 et seq. — S. Lig. n. 248.*

CASUS

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De sanctificatione festorum, de auditione Missæ, de abstinentia ab operibus servilibus, et de causis a Missa et obligatione feriandi excusantibus.

CASUS I.

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

TRIPHONIUS, vir forensis, negotiis suæ conditionis non parum implicatus, Missæ privatæ quidem diebus festis sedulo interest ; Sacro autem auditio, nullo præterea modo, nec mente nec opere, Deo colendo intendit, sed rebus tantum sæcularibus et mundanis studiose attendit. 2^o Imo, cum Sacro adest, licet genibus flexis, mentem suam non semel pene integro Sacrificio voluntarie divertit, ad præcipuas tamen Missæ partes velut *in confuso* attendens. 3^o Interdum etiam sub Sacri celebratione, licet ad notabiliores Sacrificii actiones attentus, cum quodam suo cliente de suis negotiis sermonem miscuit. Hæc autem omnia in confessione sacramentali candide aperit, interrogans an aliquando contra suam obligationem de festorum celebratione et Missæ auditione graviter deliquerit ?

HINC :

QUÆR. 1^o *An satisfaciat præcepto de festis sanctificandis, qui Missam tantum privatam audit? An vero fideles teneantur ad aliud, nempe ad Missam solemnem vel parochialem, saltem interdum, aut ad Vesperas necnon ad alia pia opera?*

2^o *Quænam attentio requiratur ad Missam valide audiendam, an interna aut externa tantum?*

3^o *Quid de singulis in casu propositis?*

SOLUTIO :

340. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm. per se* quoad substantiam, scilicet, ita ut a peccato gravi eximatur. Ratio est, quia nihil aliud ab Ecclesia injunctum invenitur. *Ita communiter contra aliquos.* Dixi *per se*, quia *per accidens* ad aliud quandoque quis obligari potest, v. g. ad assistendum concionibus, si instructione necessaria careat, vel si aliquid aliud lege particulari præcipiatur.

Consequenter non datur obligatio, *per se*, neque assistendi Missæ parochiali, neque Officiis vespertinis, nisi ratio specialis urgeat, ut modo dictum est ; sed maxime inducendi sunt fideles ut Missæ solemnem et Vesperis interveniant, et aliis piis operibus vacent, pro eorum captu et opportunitate. *Suarez. — Elbel, etc. — V. Comp. n. 338 et seq.*

341. — *R. ad 2^m Quæst. Controvertitur.* Utraque sententia probabilis est. Hinc argui nequit de peccato mortali ille qui notabili parte Missæ, vel etiam toto tempore voluntarias admittit distractiones, si nihil faciat externe quo attentio impediatur, et sufficienter ad ejus præcipuas partes advertat quid fiat. *S. Lig.* hoc tenet ut probabile, *n. 313, cum Lacroix, — Lugo, etc. V. Comp. n. 345.*

342. — *R. ad 3^m Quæst. In primo casu* graviter non peccavit TRIPHONIUS Missam privatam tantum audiens, ut dictum est. *In secundo casu* probabiliter neque gravis peccati reus evasit, sed venialiter, et forte multoties, peccavit. *In tertio casu* peccasset graviter, si ita cum socio confabulatus esset, ut omnino impediretur attentio ad Missam; hoc tamen non supponitur in casu, cum dicatur TRIPHONIUS ad præcipuas Sacrificii partes attendisse.

CASUS II.

AUDITIO MISSÆ 1^o.

LUCIANUS, pharmacopola, negotiis suæ artis irretitus, sæpe diebus festis Missæ integræ non interest. Interdum enim vel *Epistola*, aut *Evangelio* perlecto, vel *Credo* absoluto, ad Sacrum accedit; interdum autem, vix peracta Sacerdotis Communionem, e templo discedit. Die quadam festiva, cum Sacro interesset, ab amico rogatur ut quoddam ei pharmacum præbeat. Abit ille ante Consecrationem, votis amici satisfactorius. Redit vero, non solum expleto illo Sacro, sed dum alius Sacerdos esset consecraturus, adeoque duas Missæ partes eo die a duobus *successive* Sacerdotibus audit. Tempore autem paschali LUCIANUS noster provolvitur ad Confessarii pedes, ut integrum conscientiæ statum aperiat, et memoratas supra circumstantias exponit. Quid de his judicabit pater spiritualis?

HINC :

- QUÆR. 1^o *An missa integra audienda sit ex præcepto Ecclesiæ?*
 2^o *Quænam pars deficiens censenda sit gravis vel levis?*
 3^o *Quid de singulis in casu sentiendum?*

SOLUTIO :

343. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* Licet enim actio proprie sacra consistat tantum ab initio Canonis usque ad Communionem inclusive, ea tamen quæ præcedunt et subsequuntur etiam, ut partes integrales Missæ, præcipiuntur, et *sub gravi*, quidem, *per se*, quia constituunt materiam præcepti gravem.

R. ad 2^m Quæst. Omissio notabilis partis Missæ est gravis, seu peccatum mortale constituit. Quænam autem pars Missæ sit notabilis, non facile determinari potest: tertia pars juxta omnes est certe notabilis; sed pars notabilis non tantum ex diuturnitate, sed maxime ex dignitate dijudicanda est. Hinc omissio utriusque Consecrationis gravis merito reputatur.

344. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Non peccavit graviter LUCIANUS, sed venialiter tantum, cum, perlecta *Epistola*, ad Sacrum accessit, imo probabiliter,

absoluto Evangelio dummodo ante Offertorium advenerit, *S. Lig. n. 310. — V. Comp. n. 342.*

2^o Controvertitur vero utrum graviter peccaverit omittendo omnia quæ Evangelium præcedunt, et simul omnia quæ Communionem sequuntur. Probabiliter autem venialiter tantum peccasset omittendo omnia ante *Epistolam*, et omnia Communionem sequentia *S. Lig. ibid.* cum *Suarez, etc.*

3^o Probabiliter præcepto Ecclesiæ satisfecit duas dimidias Missas successive audiendo, prout in casu, quia integro Sacro interfuit. — *S. Lig. n. 311, et alii contra plures.* — Non tamen satisfecisset, si Consecratio et Communionem in eadem parte non convenissent, quia reapse Sacrificio non interfuisset; Sacrificium enim non dividitur. Ecclesia autem fidelibus præcipit, ut integro et perfecto Sacrificio assistant. *V. Comp. n. 342 et seq.*

CASUS III.

AUDITIO MISSÆ 2^o.

GUIDO, Missam die Dominica auditorus, occurrente casu, invenit medium quam brevissime obligationi satisfaciendi. Etenim, dum advenit ad Ecclesiam, ecce duos celebrantes ad altare cernit, quorum unus Sacrum inchoat, et alter jam dimidiam partem cæremoniæ sacræ peregit. Quid tum GUIDO? Ad utramque simul attendit, et integram Missam ex diversis partibus duplicis Sacri eodem tempore peracti audivit. De bono successu gaudens, rem subinde narravit sociis, exoptans ut casus similis frequenter recurreret.

Alio die festo, cum post Consecrationem tantum ad Ecclesiam advenisset, nec aliud Sacrum celebrandum superesset, statim recessit, ex eo quod substantiæ Sacrificii jam interesse non posset.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An GUIDO satisfecerit obligationi suæ, duas dimidias partes Missæ a diversis Sacerdotibus simul audiendo?*
 2^o *An peccaverit graviter, partem reliquam Missæ, quam audire poterat, omittendo?*

SOLUTIO :

345. — *R. ad 1^m Quæst.* Minime gentium. Ratio est, quia sic notabiliter imminuitur opus ab Ecclesia præceptum. Etenim, si hoc admitteretur, posset quis audire Missam tempore quinque minorum, v. g. in magna Ecclesia, dum quatuor Missæ simul celebrantur, et Sacerdotes singuli ad diversam partem Sacri pervenerunt; quod absurdum est. Constat præterea ex propositione 53^a ab *Innoc. XI* damnata, quæ sic jacet: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

346. — *R. ad 2^m Quæst. Affirmant quidam*, quia, aiunt, licet Sacrificio interesse non possit, omittit tamen partem notabilem cæremoniæ sacræ ab Ecclesia præscriptæ.

Attamen opposita sententia est etiam probabilis, quia deficit essentia Sacrificii. Suadendum autem est fidelibus ut, eam saltem partem audiendo, diem festum sanctificent. *V. Comp. n. 343.*

CASUS IV.

CAUSÆ A MISSA EXCUSANTES 1°.

CORNELIO, Confessario, die quodam festo confessiones excipienti, nescio quo casu, vel dicam potius qua providentia, occurrunt pene innumeri pœnitentes, dubia vel prætexus de omissa Sacri auditione exponentes. Inter alios adveniunt :

1° BERTINA, ancilla, raro interveniens Sacro, quia domum custodit, curam infantuli suscipit, victumque domesticum præparare debet.

2° TITIOLUS, adolescentulus famulus, Missam frequenter omittens, quia pascendo gregi invigilare debet.

3° ROBERTUS, caupo, qui pluries omisit Sacrum, quia propter assiduos hospites, febricitante uxore, non potuit tabernam deserere.

4° MATHURINUS, mercator, qui semel vel iterum Missam omisit, gravi detentus negotio, ex quo sibi pingue lucrum erat sperandum, vel saltem damnum præcavendum.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam sint causæ excusantes a Missa?*

2° *Quid de singulis judicabit CORNELIUS?*

SOLUTIO :

347. — *R. ad 1^m Quærs.* Excusant a Missa audienda diebus Dominicis et festis, non solum impotentia physica et moralis, sed etiam causa mediocriter gravis, quæ involvit notabile incommodum in bonis animæ, vel corporis, aut honorum. Excusat quoque causa caritatis, nempe, ad succurrendum proximo in aliqua necessitate versanti, v. g. ad custodiendum et curandum ægrotum, etc. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quæ est optima legum interpret. *Ita communiter S. Lig. n. 324. — Lacroix, n. 671. — V. Comp. n. 351.*

348. — *R. ad 2^m Quærs.* Sic CORNELIO judicandum :

In primo et secundo casu : a peccato excusandi ancilla atque famulus, quia, officio coacti, legitime impediuntur. Attamen, si impedimentum perdurare deberet, alius herus illis esset quærendus, si absque gravi difficultate id fieri posset.

Facile autem peccabunt eorum domini, si curare possint ut domestici sæpius Sacro et concionibus interveniant. Eorum conscientia hac obligatione graviter oneratur : multum cupienti generatim media non desunt.

In tertio casu : excusandus a peccato ROBERTUS, caupo, si uxorem ægrotantem deserere nequeat, nec alii sint qui alio tempore præcepto satisfacere potuissent et curam uxoris suscipiant, dum ipse vicissim Sacro intererit. Ratio autem tabernæ custodiendæ ut hospites confluant, non sufficit, præsertim si unicum sit Sacrum in hoc loco; tum tabernam claudere debet ut ipse et alii Missam audire queant.

349. — *In quarto casu :* excusandus est probabiliter MATHURINUS, sed a periculo hallucinationis caveat. Quot enim inveniuntur qui, lucro inhiantes, sine causa sufficienti præcepta Ecclesiæ omittunt !

CASUS V.

CAUSÆ A MISSA EXCUSANTES 2°.

1° AQUILINUS, auriga, seu dux currus publici, fere nunquam Missæ intervenit, quia in percurrendo velociter itinere die noctuque quin consistere possit, excepto brevi tempore ad corporalem refectionem necessario, totus quantus impenditur. Quod si otium aliquod alterna quaque die obtineat, somno carpendo indulgere debet.

2° GERUNTIUS, senex, Sacrum frequenter omittit, quia pedibus suis vix regi potest, et una circiter hora ab Ecclesia distat. Imo prohibet ne filius vini plus æquo amans, et filia procax ad Missam audiendam pergant, quando non valet eos comitari, ne occasione peccandi exponantur.

HINC :

QUÆR. 1° *An AQUILINUS censeatur semper a Missa excusatus?*

2° *Quid de GERUNTIO statuendum?*

SOLUTIO :

350. — *R. ad 1^m Quærs.* Difficile est ut in omnibus AQUILINUS excusetur. Etenim non semper in medio itinere versatur, et si horam unam de somno bis vel semel in mense subtrahat, ut præceptum Ecclesiæ grave adimpleat, hoc parum corporis sanitati nocebit, ac plurimum animæ saluti proderit. Multis quidem impedimentis irretiuntur hujusmodi cursores et alii similes innumeri; sed, contracta consuetudine præcepta omittendi, meris prætextibus sæpe fulciuntur, ad *excusandas excusationes in peccatis.*

351. — *R. ad 2^m Quærs.* Facilius vero cum bono GERUNTIO indulgentia habenda est; etenim ætas annosa, locorum distantia, et sæpe temporis inclementia, causæ sufficientes sunt cur senex a præcepto Ecclesiæ eximatur. Videat tamen num fortasse quandoque equo, vel currui insidens, ad Ecclesiam tendere posset. Excusari etiam potest *per se*, saltem quandoque, ex eo quod filium, et filiam, ob allatam rationem, impediat ne et ipsi ad Missam audiendam abeant; sed caveat ab aliorum scandalo, si eos sæpe cohibeat; videat an alium committere non posset, qui in eos invigilet. *V. Comp. n. 351 et seq.*

NOTA. Inquire ab iis qui de variis prætextibus Missam præceptam omittunt, utrum tot omissiones ægre tulerint; si eos indifferentes reperias, valde tibi præsumendum est eos non semper culpa vacasse.

CASUS VI.

OPERA DIE FESTO PROHIBITA.

DANIEL, sartor, vir conscientiæ parum meticulosæ, jubet sæpe sex sociis, seu famulis suis, ut laborent per horam integram, secreto tamen,

die Dominica; et ipse cum eis ad laborem incumbit, ratus se graviter non peccare, quia neque ipse, neque alius quispiam jussu suo, per tempus notabile laborat. Solet etiam, absque scrupulo, labori vacare cum suis, per tres vel quatuor horas post mediam noctem, incipiente die Dominica, aut vespere, nocte reccurrente, quia, ait, tempus nocturnum moraliter ad diem festum non pertinet, licet physice dies a media nocte ad mediam noctem computetur.

HINC :

QUER. 1^o Quodnam tempus, in laborando die festo, ad peccatum mortale requiratur?

2^o An DANIEL graviter peccaverit jubendo sex operariis, ut per horam laborarent die Dominica?

3^o An a peccato gravi excusari possit, ex eo quod tempore nocturno festorum diu laboraverit?

SOLUTIO :

352. — R. ad 1^m Quæ. *Controvertitur*. Sed, juxta sententiam communem et probabiliorem, non est peccatum mortale, secluso scandalo, si labor non protrahatur aliquantulum ultra duas horas. Ita S. Lig. n. 305. Imo, referente S. Ligorio, nec contradicente, juxta Lacroix et alios multos, labor servilis excedere debet notabiliter duas horas, puta, dua horas cum dimidio.

R. ad 2^m Quæ. *Controvertitur*. Affirmant plures, quia idem est ac si mandans ipse laboraret, vel unus e famulis, jussu suo, per sex horas laboraret. Hoc præsertim valet, aiunt, si famuli successive per horam labori indulgeant. Attamen sententia probabilior et communior negat, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera illorum non uniuntur in unum, et singuli venialiter tantum peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos inducendo ad opus sub veniali culpa tantum prohibitum. Ita S. Lig. n. 306.

353. — R. ad 3^m Quæ. Neg. Vana excusatio a DANIELE adducitur. Ecclesia enim præcipit abstinentiam a labore servili, die festo, in honorem et reverentiam diei, nec distinguit inter tempus diurnum et nocturnum.

CASUS VII.

CAUSÆ EXCUSANTES LABOREM DIE FESTO 1^o.

Sartor acutus.

MARTINUS, sartor, ingenio acutus, facile diebus Dominicis, ante auram et post prandium, arti suæ vacare solet: sive quia urget opus sibi commissum; sive quia proprias ac suæ familiæ vestes reficere debet, deficiente ad id alio tempore; sive etiam ut otium vitet. Cum a Parocho reprehensus fuisset: « Quid? ait, Pater reverende, nonne melius ago « domi honesto labore me occupando, quam, aliorum more, tabernas « frequentando, et poculis exhauriendis vacando? Num, si laborem

« meum consecrarem Ecclesiæ, conficiendo Casulas aut paramenta, vel « si consuarem vestes pauperibus distribuendas, quis me reprehenderet? « Cur, ergo, eundem laborem bono meæ familiæ consecrare non possem? »

HINC :

QUER. 1^o Quænam causæ excusent a præcepto abstinendi ab operibus servilibus die festo?

2^o An valeant MARTINI excusationes?

SOLUTIO :

354. — R. ad 1^m Quæ. Tres præcipuæ causæ enumerantur ob quas opera servilia die festo, fiant licita:

1^o *Necessitas* sive propria sive aliena, sive animæ sive corporis. Sic excusantur pauperes qui se, vel suos, alere non possunt, modo privatim, secluso scandalo, laborent, etc.

2^o *Caritas erga proximum*. Sic licet facere quod est necessarium ab infirmos sublevandos, laborare pro paupere valde indigente, qui ratione gravis necessitatis sibi laborare posset, etc. S. Lig. n. 292.

3^o *Pietas erga Deum*. Sic licet facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum et altare, verrere Ecclesiam, etc.

355. — R. ad 2^m Quæ. Neg. Acutus sartor, acutus philosophus sane non est; pessime enim ratiocinatur, nec logicæ regulas novit. Etenim, licet melius, aut potius minus malum sit labori servili domi vacare quam tabernas cum bibulis die Dominica frequentare, medium quid tamen datur, scilicet, ut neutrum faciat; utrumque enim reprobandum est. Hinc MARTINUS non potest diebus festivis vestes conficere, vel resarcire, etiam post prandium, quia labor sartorum est vere servilis. Quod vero spectat ad opera pietatis in Deum vel caritatis in proximum, admitti poterit cum *Tambur. lib. 4, c. 3, § 2, n. 18*, quod aut vestes sacras aut flores, etc., Dei cultui inservientes, aut pauperum vestes conficiat aut reficiat, etc.; ne utique quod laboret ut lucrum inde proveniens aut Ecclesiis aut pauperibus in communi tribuat. Hujusmodi enim opera nisi in casibus particularibus, urgente gravi aut Ecclesiæ aut pauperis alicujus necessitate, permittuntur. Prius illud consuetudo et sensus fidelium admittunt, non autem hoc postremum. *Elbel, n. 406. — Azor et alii plures.*

CASUS VIII.

CAUSÆ EXCUSANTES LABOREM DIE FESTO 2^o.

Rusticis cujusdam pagi, dum tempore messis segetes in terra jacerent, quadam die Dominica repente visa est ingruere tempestas. Alii subito proprio motu ad segetes colligendas, curribusque et equis in horreum evehendas, præcurrunt. Alii a Parocho facultatem id faciendi petiere. Alii tandem etiam dispensationem petere veriti sunt, et a labore abstinere. Parochus autem primos graviter objurgavit, cum aliis benigne dispensavit, aliorum vero zelum pro Dei gloria dilaudavit.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quid de ratione agendi rusticorum statuendum?*
 2° *Quid vero de Parochi sententia?*
 3° *An, stante dispensationis casu, Vicarius, absente Parocho, dispensare possit?*

SOLUTIO :

356. — *R. ad 1^m Quærs.* Si revera adfuit periculum, prout sæpe adest, ne segetes in campo diutius relictæ computrescerent, vel notabile damnum paterentur, rustici, eas die festo colligendo, contra præceptum Ecclesiæ non peccarunt; quia Ecclesia, pia mater, non vult filios cum tanto onere ad præcepta adstringere. Nihilominus, cum labor ille servilis fuerit publice susceptus, et causa exemptionis fortasse aliis fuerit dubia, melius sane egissent si licentiam a Parocho postulassent, modo id absque nimio incommodo facere potuissent, tum ad demonstrandam debitam Ecclesiæ submissionem, tum ad præcavendum omne quoad se hallucinationis, quoad alios vero scandali periculum. *Elbel, n. 412.*

357. — *R. ad 2^m Quærs.* Parochus videtur paulo severius egisse, parochianos increpando ex eo quod absque licentia, hac urgente necessitate, laboraverint, si revera periculum fuerit grave et proximum. Melius fecisset si prior ipse omnes dispensasset in genere, ne forte plures ex conscientia erronea graviter peccarent. Quid vero si ratio, licet sufficiens ad dispensandum, non sit sufficiens ut lex Ecclesiæ cesset? Parochus tunc cum subditis dispensare poterit, siquidem ex consuetudine legitima dispensare potest, et non tantum legem cessantem declarare; insuper adest causa sufficiens, ut dispensare queat. *Elbel, n. 413. — Azor. — Tamburinus, etc.*

358. — *R. ad 3^m Quærs.* Distinguendum est. Vicarius poterit dispensare, si a Parocho habeat potestatem delegatam; secus vero, si hanc non habeat. Attamen, si urgeat necessitas, vel damnum notabile immineat, Vicarius, etiam non delegatus, rusticis dicere potest se de pietate Ecclesiæ pie præsumere, quod nolit eos in tali casu obligari ad legem servandam. Etenim, urgente periculo, et deficiente legitimo Superiore, in re simili, sufficit dispensatio rationabiliter præsumpta, ita ut prudenter credere liceat quod Superior, si præsens esset, dispensaturus foret. *Elbel, n. 414, et alii.*

NOTA. In Galliis absque difficultate Vicarius Parochi dispensationem præfatam concedere valeret, quia, vi delegationis episcopalis, est communiter delegatus ad universitatem causarum.

CASUS

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI

SEU

De officiis filiorum erga parentes, parentum erga filios, necnon famulorum in dominos, et vice versa.

CASUS I.

OFFICIA FILIORUM IN PARENTES 1°.

GASPAR, filiusfamilias, dyscolus, sic confitetur: 1° Sæpe contra obedientiam et reverentiam deliqui erga parentes; 2° pluries eos habui odio; 3° eos pluries graviter ad iram et lacrymas commovi; 4° verbis asperis eos non semel compellavi; 5° semel matrem percussi, sed leviter, et bis contra illam manum levavi, sed non percussi. Illum breviter admonet Confessarius ne iterum talia peragat, et confestim eum absolvit.

HINC :

- QUÆR. 1° *Quomodo in his peccaverit GASPAR contra obedientiam, reverentiam et amorem, cogitatione, verbo et opere?*
 2° *An sufficiens sit penitentis confessio et Confessarii directio?*

SOLUTIO :

359. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° Generatim peccata filiorum contra obedientiam non sunt gravia. Igitur qualis fuerit GASPARIS culpa contra obedientiam parentibus, ex rei materia, ex fine præcepti, necnon ex circumstantiis variis colligendum est. Sed, cum filius sit dyscolus, facile præsumi potest eum graviter peccasse.

2° Graviter peccavit contra amorem parentibus debitum, seu contra virtutem pietatis, si eos gravi odio fuerit persecutus, v. g. si malum grave eis exoptaverit, si exterius eos oculis torvis diu aspexerit..., etc.

3° Graviter peccavit contra reverentiam erga parentes, *per se*, eos ad iram gravem lacrymasque commovendo, et injuriis eos prosequendo, præsertim si illi non facile ad hæc proni sint; item eos percutiendo, licet leviter, sed modo injurioso, imo etiam manum in eos tantum attolendo.

360. — *R. ad 2^m Quærs.* Ex dictis patet filium dyscolum confessionem valde incompletam fecisse, siquidem ex ea colligi pluribus in rebus nequit utrum graviter, nec quoties peccaverit. Proin Confessarius suo muneri non satisfacit interrogationes ad integritatem confessionis necessarias omittendo, et tam facile et tam cito absolvendo, quin monita congrua ad